



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvací, 1625**

De studio simplicis fratris, in passione Christi. X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](#)

mundi & honores amanda; quam Christus docuit, & vsque in finem vitæ seruavit, & omnibus perfectis pro exemplo reliquit. Hanc multi sapientes, nobiles, diuites & potentes Christum sequentes, propter regnum cælorum sponte elegerunt. O quamlibet puræ animæ, quæ nihil habere desiderat de statu & ornatu seculi, amore Iesu-Christi! Verè magna securitas conscientiæ & iucunditas cordis, stare in subiectione & obedientia, & propter Christum crucifixum se abnegare plenè vsque ad mortem. O cælesti manna superbis absconditum, humilibus reuelatum, innocentiis propinatum, à deuotis prægustatum; qui pro speciali solatio recolunt Christum pro se passum & crucifixum.

## CAPVT X.

*De studio simplicis fratris, in passione Christi.*

*Psal. 34.*

Quantus  
profecetus  
simplici a-  
nimæ in  
Christi  
cruce.

**S**alus tua ego sum, dicit Dominus. Plus sanctitatis & puritatis, scientiæ & prudentiæ, contra omnes nequitias diaboli & errores mundi ac lordes vitiorum, inuenit simplex & innocens frater in vita & passione Domini, quam altus speculator & subtilis disputator in consideratione totius machinae mundi. Vitam & passionem Christi docemur imitari; machinam mundi speculatori sine laude & gloria Dei, vanitas est & stultitia. Melius est orate humiliter Deum, quam subtiliter perscrutari cælum.

**z.** Dei enim est gubernare omnia, qui creauit omnia; homini est seruare mandata eius, & cauere peccata. Omnes sancti esse mus, si ista faceremus, sed quia multi ista non faciunt, nec bene viuunt: ideo multa mala eis iusto Dei indicio contingunt. Fuge ergo frater seculum, intra latus claustrum, sequere sanus Christum per arcam viam ad cælum. Bonum est tibi cum uno oculo intrare cælum, quam cum duobus in infernum; vbi erit fletus & stridor dentium, pro omnibus malis in perpetuum. Væ eis.

## CAPVT XI.

*De puritate multarum virtutum.*

*1. Pet. 2.  
Quomodo  
per omnia  
placeas  
Deo.*

**E**stote rationabiles sine dolo. O sanctum & suave verbum, ex ore sancti Petri Apostoli prolatum. Placet namque maximè Deo & angelis eius, castitas cum humilitate, scientia sine inflatione, prudentia sine præsuppositione, eloquacia sine vana gloria, letitia sine dissolutione, tristitia sine amaritudine, patientia sine mutmure, locutio sine mendacio, responsio sine fallacia, promissio sine crastino, laudatio sine vituperio, dilectio sine vino, oratio sine rædio, gratitudo Deo pro omni bono sine termino, meditatio sine dispersione, contemplatio sine obscuratione, operatio sine inquinatione, quies sine pigritiâ, vnião animæ cum

